

prima est, sic pilus caudidus ille imbecillimus exit. quæ videtur esse causa propinquior, cum certum sit pilos è cute enasci. Aliquando ex attritu ligni fellæ equinæ eueniunt iumentis vlcera, vulgus ea guidalisco, & alibi guarrese appellat. in quib. eadem de causa, cum consolidantur oritur pilus albus. Sed quo pacto id prohiberi possit, docet Alexander medicus in suis Problematibus problemate 145. lib. i. quærês causam cur hordeum tostum, redactumq. in puluerem, cicatricibus equorum conspersum, faciat vt pili non albi, sed cæteris vnicolores oriantur. Causam autem inquit esse, quoniam vim discutiendi purgandiq. obtinens, detergit atque absomit excrementum pituitæ, atque materiam omnem vitiosam, quam vlcus per membri infirmitatem collegerat. Sed quare in homine, vlcere conglutinato, non enascitur pilus candidans: cum tamen ex vitiligine, aut ex cutis affectu, tales erumpant? Dicendum, quòd si vlcus in capite est, oriuntur quidem pili post cicatricem, qui cæteris citius canescant: sed non vbi primùm cicatrix obducta fuerit; idque vel ob cutis crassitiem, vel quòd ibi non enascantur. Si in altera corporis parte fuerit cicatrix, nulli oriuntur, quòd ex cicatrice cutis reddatur densior, & meatus claudantur. vel, vt inquit Aristoteles sectionis decimæ, Problemate trigessimoprimo, quia deprauat nutrimentum hominibus. itaque ex toto propter pili infirmitatem impedimento est, equis autem, ne pili exeant, nunquam est, sed deprauat, facitq. ne prior integritas seruetur. atque id ipsum asserit vigesimonono Problemate eiusdem sectionis, & Problemate decimotertio nonæ sectionis. Sed cur cicatrices si eodè loco sæpius vlcus extiterit, cætero corpore nigræ ducuntur, at in oculo albæ consilunt?